

## Die Urkunden Karls des Großen, 225

In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Karlo Magnus divina illustrante clemencia honore regni et Romanorum patriciato predictus consilio domni apostolici pro dei amore et remedio illustrissimi patris et matris nostre ac propter petitionem domni consanguinei nostri Frodoini Noualiciensis abbatis et Vgonis filii nostri, eiusdem cenobii monachi, ipsi monaste[rio] in honore beatissimorum apostolorum Petri et Pauli et Andree constructo omnes terras et proprietates, unde domnus Abbo patricius eam ecclesiam ditaverat, cum omni integritate et pertinenciis, sicut per precepta ipsius Abbonis patricii et patris nostri Pipini pertinere videntur, corroboramus et penitus confirmamus, terciam videlicet partem Secusine vallis cum tercia parte districti tam in m[on]tibus quam in planiciis et aquis et totum Lestadium a Petra stricta et a cursu aque usque ad sumitatem moncium et totam Noualiciensem vallem cum montibus et aquis et piscacionibus et venacionibus et pratis utriusque partis vallis et stratam cum omni districto a desensu collis, qui est citra Secusiam, usque ad planiciem montis Cinisii et ipsum eciam montem cum ripatico fluminis usque ad fontem Uarciniscam. Et ne ab hominibus ad ipsum cenobium tantum pertinentibus aput Secusiam neque in alio loco eiusdem patrie in toloneo peagium vel quislibet alius census in emendo vendendo seu in quibuslibet aliis negociacionibus exigatur, pontaticum vero navium solummodo ad hoc monast[erium] spectancium et quidquid domnus Abbo patricius sibi in Italia seu in [cunc]tis Galliis [dedit, concedimus] et confirmamus. Ex regalibus vero beneficiis nostris huic tanto cenobio pro mercede anime nostre adtribuimus et absque omni retentu cumferimus in partibus F[ra]nce monasterium sancti Medardi cum omnibus suis [appendiciis] et ecclesiam beate Marie de Monte Martirum cum suis pertinentibus adque abbaciam sancti Nicasii in Remis et quartam partem nostrorum reddituum, quos in Beluacensi civitate accipimus, cum his omnibus, que genitor noster Pipinus ipsi monasterio dedit et qua[tuor] curtes in Maurienna, scilicet Aruam et Lianam et Ualoriam adque Hetonem, et terciam partem eiusdem vallis Maurianne, que tantum ad nos spectat, et in Italia curtem Gabianam cum mille mansis ad ipsam pertinentibus et curtem Soponici cum quingentis et septem mansis et vallem Bardoniscam cum castro Bardino filiis Ludouico et Ugone rogantibus. Concessionem autem ducum marchionum comitum archiepiscoporum episcoporum vel quorumlibet Christi fidelium aut comparaciones sive commutationes vel quaslibet pacciones de rebus mobilibus vel immobilibus, terris vineis scilicet et campis silvis pratis pascuis aquis aquarumque decursibus molendinis piscacionibus ripis abitacionibus edificiis ecclesiis castellis villis servis ancillis aldionibus et aldiabus auctoritate domni pape, cuius iussione hec fecimus, prorsus corroboramus [et] confirmamus. Insuper eciam pro anime nostre salute eiusdem[que] cenobii perpetua tran[qui]llitate volumus adque nostra imperiali auctoritate precipimus hac quoque preceptali pagina corroboramus, quatenus prelibatum cenobium nulli d[e] cet]ero nisi nostre dicioni subiaceat solummodo et successorum nostrorum et ab omni archiepiscoporum episcoporum ducum comitum marchionum ceterorumque hominum dominio liberum et absolutum permaneat nec ullo tempore cuiquam successorum [nostrorum] prenominatum cenobium vel que ad ipsum pertinere videntur, hac preceptali pagina seu quolibet scripto alicui persone tradere vel in beneficium concedere liceat, set omni tempore imperatorie sit tantummodo potestati s[ub]ie]ctum. Precipientes itaque iubemus et hac nostra corroboracione firmamus, [ut nul]lus dux archiepiscopus episcopus marchio comes vicecomes gastaldio nulla regni nostri magna parvaque [persona] de omnibus, que ad iam dictum monasterium per h[ec] precepta vel alia scripta seu alio modo pertinere videntur vel

de districto ipsius monasterii, sicut in aliis preceptis abent, inquietare vel molestare vel devestire sacratissimum iam dictum locum aliquo ingenio presumat. Si quis huius nostre confirmationis et largitatis preceptum rumpere presumserit, sciat se compositurum auri optimi libras mille, medie[ta]tem cammere nostre et medietatem iam dicto cenobio suisque rectoribus. Quod ut luce clarius credatur et omni tempore inviolatum conservetur, manu propria roborantes sigillo nostro signari iussimus.

Signum (M.) Karoli Magni gloriosissimi regis.

† Ego Maldanarius Karoli Magni notarius cognovi et scripsi.

Signum † Euasius episcopi Astensis.

Ego Eurardus Magni Karoli cancellarius cognovi et subscripsi †.

Signum † Henrici archiepiscopi.

Signum † Vitgarii episcopi.

Claudius episcopus Taurinensis cognovi et subscripsi †.

Ego Romoaldus comes cognovi et subscripsi †.

Signum † Glarinci archiepiscopi.

Ego Risparius comes cognovi et subscripsi †.

Ego Achinerius comes cognovi †.

Boso comes cognovi †.

Data Ticinensi palacio anno ab incarnatione domini DCCLXXIII, indictione VI, mense iun. feria VI.